



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1656**

§. 22. Et quod fecit hæc narrabitur in memoiram eius. v. 9.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45533**

fides bona malis operibus inhonoretur, ne te vita mea impura abnegare videar, quem fide vera confiteor, nihil quod falsum ac vanum sit cogitem vel eloquar, utque te vnum timeam, amem, colam, & tua præcepta obtemperem.

§. 22. Et quod fecit hac narrabitur in memoriam eius. v. 9.

Altera Prophetia Christi est, quod sicut Euangelium & passio ipsa prædicabitur in vniuerso mundo, ita Magdalena beneficium Christo præstitum sit toto orbe laudandum, contra istum murmuratorem & furentem, ut sic mulier illa deuota, passa calumniam in priuato recipiat gloriam in toto orbe de obsequio quod Domino exhibuit; ille autem, qui obsequio eius detrahere non timuit æquè longe lateque infamaretur: Ecce anima mea Religionis veræ & sinceræ efficaciam, cuius vi mulier illa in benedictione est: Ecce quam bonum seruire Deo, illum colere etiam externis ceremonijs, & non solo spiritu ut volunt hæretici, quid enim Reges ultra querunt, quam memoriam præclare benefactorum & ut viuat eorum posteritæ virtus: Ecce Regū votum è paruo opere Christus Mulieri piæ promittit post funera, nempe toto orbe virtutum suarum prædicationem: nec in vna parte mundi, sed in toto orbis circuitu: Imitare Mulierem hanc Christiane qui virtutum tuarum præconium apud Deum & homines esse desideras.

**D**omine nimis, siue valde valde honorati sunt amici tui Deus, non solum in cælis, sed etiam in terris quis enim potentium huius mundi Cæsarum, Regum, Tyrannorum potuit obtinere eam gloriam, quam peccator Petrus, Ioannes &c. obtinuerunt, desipit certe qui gloriam alibi quam in tuo seruitio solidam veramque inquit. Et ego igitur me factis dedam seruitijs tuis, ut in æternum gloriosus sim apud te, etiam si in terra contemnar in terris.

§. 23. Et Iudas Iscariotes vnus de duodecim. v. 10.

Describit hic Euangelista Iudam nomine proprio & agnomine vocando Iscarioten ad distinctionem Iudæ Thadæi consobrini Christi, quippe ex Iscarioth vico Samariæ oriundus fuit, addit quod fuerit vnus de duodecim Apostolis electis specialiter à Christo ad Euangelium prædicandum toti mundi, & hoc in aggrauationem peccati illius & ingratitude, iuxta psalmistam dicentem: *Qui mecum dulces capiebas cibos in domo Dei ambulauimus cum consensu: & pro eo ut me diligerent detrahebant mihi: & posuerunt iugum meum mala pro bonis, & odium pro dilectione mea: Exeat ergo condemnatus à cælo.*